



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Officia Propria Ecclesiae Et Dioecesis Paderbornensis**

**Asseburg, Wilhelm Anton von der  
Paderbornae, 1764**

XVI. Divisio Apostolorum Dupl.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62764](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62764)



*Lect. 1. Noct. Beatus vir. de com. reliqua ut in Brev. Romano.*

*Die XVI. Julii.*

**DIVISIO APOSTOLORUM,**

*Duplex Diæces.*

*Omnia de communi Apostolorum præter sequentia.*

*Oratio.*

**D**eus, qui nos per beatos Apostolos tuos ad agnitionem tui nominis venire tribuisti: da nobis, eorum gloriam sempiternam & proficendo celebrare, & celebrando proficere. Per Dominum.

IN I. NOCTURNO.

*Lectio 1.*

De Epistola beati Pauli Apostoli ad Romanos *Cap. 10.*

**F**inis legis, Christus, ad justitiam omni credenti. Moyses enim scripsit, quoniam justitiam quæ ex lege est, qui fecerit homo, vivet in eâ. Quæ autem ex fide est justitia, sic dicit: Ne dixeris in corde tuo: Quis ascendet in coelum? id est, Chri-

K 2

stum



stum deducere. Aut quis descendet in abyssum? hoc est, Christum à mortuis revocare. Sed quid dicit Scriptura? Propè est verbum in ore tuo, & in corde tuo: hoc est verbum fidei, quod prædicamus. Quia si confitearis in ore tuo Dominum Jesum, & in corde tuo credideris, quòd Deus illum suscitavit à mortuis, salvus eris. *Rz.* Ecce ego mitto vos.

*Lectio II.*

**C**orde enim creditur ad justitiam: ore autem confessio fit ad salutem. Dicit enim Scriptura: Omnis qui credit in illum, non confundetur. Non enim est distinctio Judæi, & Græci: nam idem Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum. Omnis enim quicumque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audie-

*erunt?*



runt? Quomodo autem audient sine  
 prædicante? Quomodo verò prædi-  
 cabunt, nisi mittantur? sicut scri-  
 ptum est: Quàm speciosi pedes evan-  
 gelizantium pacem, evangelizan-  
 tium bona. *R.* Tollite jugum meum.

*Lectio III.*

**S**ed non omnes obediunt Evangelio,  
 Isaias enim dicit: Domine, quis  
 credidit auditui nostro? Ergo fides  
 ex auditu, auditus autem per verbum  
 Christi. Sed dico: Numquid non  
 audierunt? Et quidem in omnem ter-  
 ram exivit sonus eorum, & in fines  
 orbis terræ verba eorum. Sed dico:  
 Numquid Israel non cognovit? Pri-  
 mus Moyses dicit: Ego ad æmula-  
 tionem vos adducam in non gentem:  
 in gentem insipientem, in iram vos  
 mittam. Isaias autem audet, & di-  
 cit: Inventus sum à non quærentibus  
 me: palàm apparui iis, qui me non  
 interrogabant. Ad Israel autem di-



cit: Totâ die expandi manus meas  
ad populum non credentem, & con-  
tradicientem. *R.* Dum steteritis.

IN II. NOCTURNO.

*Lectio IV.*

Sermo S. Joannis Chrysoſtomi,

*in Ench. SS. Duod. Apost. apud Metaph. init.*

**D**uodecim electi sunt athletæ, &  
nullus eorum mansit non coro-  
natus: una enim gratia erat omni-  
bus socia certaminis, & cum eis con-  
currebat, & uniuscujusque victori-  
am reddebat magis probatam. Sed  
ô beatum & præclarum vestrum, ô  
Apostoli, coetum, quod omnia facti  
estis omnibus, Dei gratiâ: non arun-  
dine, sed sermone, greges hominum  
peritè capientes. Vos enim estis im-  
mobiles columnæ rectæ fidei, petra  
Ecclesiæ, Regni sceptræ, & hujus  
maximi gregis vigiles defensores,  
morbi humanitatis gratuiti medici,  
& nostræ ad DEUM poenitentia  
susceptores misericordes. *R.*

*R.*





Rz. Vidi conjunctos.

*Lectio V.*

**C**um enim essetis veluti quædam animatae incudes, dum verberaremini, eos, qui verberabant, fabricati estis ad agnitionem. Hinc Petrus Romam accipit in disciplinam, Paulus illinc mundo annuntiat Evangelium, Andreas corrigit Græciæ sapientes, Simon barbaros Deum docet, Thomas baptismate dealbat Æthiopes; Jacobi cathedram honorat Judæa, Marci thronum, quæ est ad Nilum, complectitur Alexandria: Lucas & Joannes scribunt Evangelia; Joannes, qui vel post finem adhuc tractat Theologiam, tamquam vivus curat Ephesum; Bartholomæus erudit Lycaonas ad temperantiam; Philippus, faciens miracula, servat Hierapolin. Rz. Beati estis.

*Lectio VI.*

**N**on cessant omnes omnibus ubique



que benefacere. Pulverem immortalē reliquerunt in sepulchris, nunc quidem pii cultores, paulò post autem sedentes mundi iudices. Cùm huic appropinquasset claudus, reversus est sanis & integris pedibus. Cùm in illum incidisset paralyticus, iussus est ferre grabatum. Alius vocabat mortuos, illi verò ei statim obtemperarunt. Alterius autem umbra sola fugabat morbos. Alterius invocationem exhorrebant dæmones, & eorum sudaria distillabant medicinam; erant enim discipuli illius, cuius fimbria furtim surrepta, contactu eius quæ sanguinis laborabat profluvio, exsiccavit rubrum mare sanguinis. *℞.* Isti sunt triumphatores.

IN III. NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Marcum. c. 16.

Lectio VII.

**I**n illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Euntes in mundum uni-



universum, prædicate Evangelium  
omni creaturæ. Et reliqua.

Homilia S. Gregorii Papæ.

*Homilia 29. in Evangelium post init.*

**P**otest omnis creaturæ nomine  
omnis natio Gentium designari.  
Ante etenim dictum fuerat, in viam  
Gentium ne abieritis; nunc autem  
dicitur. Prædicate omni creaturæ;  
ut scilicet prius à Judæa Apostolorum  
repulsa prædicatio, tunc nobis in ad-  
jutorium fieret, cum hanc illa ad  
damnationis suæ testimonium super-  
ba repulisset. Sed cum discipulos ad  
prædicandum Veritas mittit, quid  
aliud in mundo facit, nisi grana se-  
minis spargit? Et pauca grana mit-  
tit in semine, ut multarum messium  
fruges recipiat ex nostrâ fide.

R. Isti sunt qui viventes,

*Leclio VIII.*

**N**eque etenim in universo mundo  
tanta fidelium messis exurgeret,  
si



si de manu Domini super rationalem terram illa electa grana prædicantium non venissent. Sequitur: Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Fortasse unusquisque apud semetipsum dicat: Ego jam credidi, salvus ero. Verum dicit, si fidem operibus tenet. Vera etenim fides est, quæ in hoc quod verbis dicit, moribus non contradicit. Hinc est enim quod de quibusdam falsis fidelibus Paulus dicit: Qui confitentur se nosse Deum, factis autem negant. *R.* Isti sunt viri sancti.

*LECTIO IX.*

**S**igna autem eos, qui credituri sunt, hæc sequentur. In nomine meo dæmonia ejicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent: & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent, & bene habebunt. Numquid nam fratres  
mei



mei, quia ista signa non facitis, minime creditis? Sed hæc necessaria in exordio Ecclesiæ fuerunt. Ut etenim ad fidem cresceret multitudo credentium, miraculis fuerat nutrienda. Quia & nos, cum arbuta plantamus, tamdiu eis aquam infundimus, quousque ea in terrâ jam coaluisse videamus: & si semel radicem fixerint, irrigatio cessabit. Hinc est enim quod Paulus dicit: Linguæ in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus.

Te Deum laudamus,

Missa ut in Festo SS. Simonis & Judæ,  
die 28. Octob. omissis nominibus,

*Evangelium ex die 8. Augusti.*

Credo. *Præf. Apost.*

*Die XVIII. Julii.*

S CAMILLI DE LELLIS CONF.

*Semiduplex*

*Omnia de comm. Conf. non Pont. exceptis iis, quæ sequuntur.*

*In Hymn. ad Vesp. & Mat. Iste Confessor, dicitur.*

Ÿ.